ned For

of Chicago

ries

y 2000

ned By

Resources

PA 18017

perators

Villiams

uhns

Sigley

USUS & AB
CENSUR
PETRI PAU

DEO JUVANT

P R Æ S I

CHRISTIANO EBI
WEISMAN

THEOL. DOCT. ET PROF. PU
ECCLESIÆ TUB. DECANO, ET DU
SUPERINTENDENT

AD DIEM MENS. DECEMBR.

Loco & horis cons

publice examinabu

RESPONDENT

M. JOH. FRID. ROESSL
M. JOHANNES KAUSL

SS. Theolog. Stud. & Sere

TUBINGÆ

LITERIS MEZIA

27

ABUSUS
URÆ
AULINÆ

VANTE

S I D E

EBERHARDO
ANNO,
OF. PUBL. ORDINARIO,
, ET DUCALIS SEMINARII
NDENTE,

ECEMBR. A. MDCCXLV.

is consuetis

xaminabunt

DENTES,

ESSLIN, Stuttgard. 28.
AUSLER, Bietigh.
, & Serenisſ. Stip.

N G Æ,

IEZIANIS.

§. I.

PRopositum nobis nunc est disserere de *usu* & *abusu censuræ Petri Paulinæ*, cujus historiam ipse PAULUS in *C. II. ep. ad Galatas* ejusque *prima parte* accurate & emphatice recenset. Argumentum ipsum per se indignum non est, quod vel hodie ad usum discentium in præcipuis suis sistatur colligaturque momentis, quamvis ceteroquin Theologorum, cum interpretum, tum controversias tractantium, manus millies jam pervaserit, eaque cum copia & delectu expositum prostet, ut doctiorum quidem causa multa heic repetere videatur necesse non esse. Nec tamen negari potest, idem evenisse huic themati, quod multis aliis similibus, h. e. nonnulla vel hodie illi accessisse variis occasionibus, quæ semper novum examen postulant, per quod antiquæ stabiliantur veritates, novi autem abusus illius *Historiæ* solide removeantur: unde non miramur, semper aliquos desiderio teneri in grave hoc argumentum penitius introspiciendi, hocque fine nunc quoque cupiant manuduci in ea, quæ nostra ætas suo ex penu amplificavit. Imo vero hæc ipsa genuina præsentis *Dissertationis Academicæ* ratio & occasio est, quam ut recusaremus, nulla prorsus causa legitima adfuit. Dabimus autem operam, ut lectoribus nostris nec inutiles prorsus, nec tædiosi, simus, & quodam, si fieri possit, condimento novo, vel saltem non omnibus tam facile obvio, tritæ huic alias materiæ aliquam conciliemus gratiam. Id sæpe majorem curam & attentionem postulat, quam si prorsus nova invenienda sint cogitata, atque

ad minimum plus habet utilitatis & pretii, quam multa alia, quæ lenocinio novitatis haud omnino destituuntur. Deo igitur juvante rem ipsam aggredimur, & quidem hoc ordine, ut primo factum admodum memorabile justa exegesi in præcipuis suis illustremus circumstantiis: deinde vero de usibus abusibusque illius facti nostram porro efferamus sententiam

§. 2.

Princeps textus, de quo jam solliciti sumus, *Gal. c. II. v. 12.* & proxime *seqq.* continetur. *Cum autem*, scribit Paulus, *Petrus venisset Antiochiam, in os ei restiti, eo quod reprehensibilis esset. Nam antequam venissent quidam a Jacobo, una cum gentibus edebat: cum autem venissent, subduxit se ac separavit ab eis, metuens eos, qui erant ex circumcisione: ac simulabant una cum eo reliqui etiam Judæi, usque adeo, ut Barnabas ipse simul abreptus fuerit in illorum simulationem: Sed cum vidissem, eos non recto pede incedere, ut veritati Evangelii conveniebat, dixi Petro coram omnibus: si tu, cum sis Judæus, gentiliter vivis, ac non Judaice, cur gentes cogis Judaizare?* Hic ante omnia & *primo loco* objectum *censura Paulina* considerandum est. *Vulgata* versio *Cepham* heic legit, non Petrum. Nec incredibile videtur eruditis, Græcum exemplar, quo usus quondam est illius versionis Autor, hic illi præivisse. Nec deest adhuc hodie varians lectio in *Græcis* quibusdam *Codicibus*, sed quos occasione demum scrupulorum circa personam Petri mutatos fuisse, suspicantur Critici. Quicquid vero sit, certum est, a vide & PP. quosdam antiquos, & post eorum ætatem alios nonnullos ansam inde arripuisse cogitandi, quod non *Petrum* Apostolum, sed *Cepham* quendam ab ipso diversum, ex LXXII. discipulorum, ut putant, numero, censura illa Paulina tetigerit. Et illud tamen simul certum est, quod ea opinio, vel conjectura potius, mature interciderit, vix alio animo a modernis interpretibus passim commemorata, quam ut vel in transitu ostenderent, se nullo ipsam habere loco, & vix dignam censere, quæ ullum in censum veniat. Fecerunt id ipsum partim defectu historici fundamenti, partim quia *lectio Græca* ordinaria repugnabat, partim,

tim, quoniam contextus hunc sensum non patitur, partim quia ipsi etiam Romani Pontifices, inter quos solum jam *Gregorium M.* allegamus, illam passim refutarunt opinionem, quamvis ex aliis rationibus ipsis ingrata esse non debuerit. Hactenus potuisset hæc quæstio exegetica in posterum plane omitti tanquam obsoleta & communi consensu repudiata, nisi nostra demum ætate celebriores QQ. *Theologi RCatholici* hanc hypothesin denuo ornandam tuendamque suscepissent, inter quos eminet IOH. HARDUINUS, Jesuita, Vir, ut notum est ex literaria Historia, natus factusque ad paradoxa quævis excogitanda, expolienda, & cum conatu defendenda. Is singularem huic negotio impendit *Dissertationem μετα πολλης φαντασιας* elaboratam, cum *Opp.* ejus *selectis*, tum *Commentario in N. T.* posthumo subjunctam, ac prope solus omne hic punctum fert. Quicquid enim *Abbas quidam* simili instituto postea prodidit ad *A. 1732.* in *Mem. de Trevoux Act. LXXV. p. 1621. seqq.* recensitum, pura puta *Harduinianorum* repetitio est. Eousque provexit audaciam suam HARDUINUS, ut prætenderet, in omnibus plane locis, ubi Cephæ nomen extat, non Petrum, sed *Cepham* illum *a Petro distinctum* designari. Ab eo tempore novum vigorem accepit hæc quæstio, ab eruditis recentioribus absque ignaviæ vel inscitiæ nota haud temere negligenda. Sequemur igitur & nos hunc torrentem, producturi in gratiam discentium rationes præcipuas, quas *citati Autores* pro defensione illius hypotheseos attulerunt, sed in compendio. Summa hæc est. *1.* Teste *Clemente Alex.* omnino extitisse hujusmodi Cepham inter LXX. Christi discipulos, magnæ autoritatis & existimationis apud Christianos ex Judæis. *2.* Lectionem *Vulgatæ*, uti hic, ita & innumeris aliis locis, magis authenticam esse, quam Græcam, in cujus opinionis excessu HARDUINUS omnes alios RCatholicos superat. *3. Gal. II. 9.* Cepham *medium* esse inter Jacobum & Johannem, quod absurde fieret, si is Cephas esset Petrus Apostolorum princeps, utpote vel primo vel ultimo loco collocandus in legitimo suo ordine. Si vero hic alius sit Cephas a Petro, per totum hoc Caput idem habere locum. *4. Petrum Apostolum* tempore *censuræ Paulinæ* Hierosolymæ fuisse, non Antiochiæ. *5.* Ha-

 bere

bere hanc ſententiam bonos & probatos *Autores*, cum veteres, tum recentes, nec adeo inuſitatam eſſe. 6. omni carere probabilitate, poſt Hieroſolymitani Concilii deciſionem *Act. XV.* & propriam ſententiam tam graviter ibi enuntiatam, *Petrum* tale quid facturum Antiochiæ. 7. Secuturum, quod Petrus *turpem errorem* in materia ſane gravi, quæ pertineret ad fidem, commiſerit, & in *hæreſin* lapſus ſit, quod ſit dictu abſurdiſſimum, totamque Scripturæ fidem enervaturum. 8. Non poſſe Paulum ab *ingenti arrogantia & temeritate* abſolvi, ſi *Gal. II.* Cephas eſſet *Petrus*, aut *Jacobus* & *Johannes* v. g. Apoſtoli hujus nominis, aut *2. Cor. XI. 5.* & *XII. 11.* ipſi intelligerentur Apoſtoli, & non Pſeudo-Apoſtoli &c. 9. Denique dicendum fore, quod *Paulus* Apoſtolus in *eandem* incurriſſet *cenſuram*, qua is feriiſſe *Petrum* dicitur Apoſtolum, cum paſſim eandem συγκαταβασιν erga Judæos Zelotas & ſcrupuloſos adhibuerit, adhibendamque ſuaſerit. Hæc ſunt nova illa firmamenta obſoletæ ſententiæ, de quibus in *Edit.* nova *H. noſtra Eccleſ. T. I. p. 45.* paulo generalius diximus, ſi poſſet juſtis rationibus probari illa *Cephæ* a *Petro* diverſitas, nos nullas habituros cauſas, cur expoſitio illa ingrata nobis eſſe debeat: hactenus non agere Proteſtantes ex ſtudio partium: imo habituros Proteſtantes, æque ac alios, commodiorem viam declinandi eorum tela, qui contra Apoſtolorum infallibilitatem inde diſputant: ſed his non obſtantibus recte ſtatui, non debere affectare RC. illam diſtinctionem, quia putant & ſentiunt, hiſtoriam illam de *Petro* intellectam perſonæ, quam illi falſo imponunt, haud recte convenire: Longiſſime ſimpliciorem denique ſolidioremque communem eſſe ſententiam, quam proinde ex ipſis etiam *RCatholicis* plerique retinent, niſi quod aliunde petitis reſponſionibus enervare conantur ingrata ſibi conſectaria. Cum vero nondum ibi ad rationes HARDUINI plene & ſpecialiter reſponſum a nobis ſit, æquum eſt, ut hoc loco, tanquam magis polemico, paucis licet verbis, id ipſum præſtemus. Ad 1. igitur reſpondemus, hypotheſin illam de *Cepha* eſſe mere precariam, nulliſque teſtimoniis neceſſariis ſuffultam, ut ipſe jam ſuo tempore agnovit *Hieronymus*. Ad 2. ℞. abſurdum eſſe prærogativam,

gativam, quæ hic tribuitur *Vulgatæ* præ *textu Græco*, quasi hic versio esset, illa textus originalis: eamque hypothesin ne quidem ceteris probari RCatholicis. V. e. g. D. BAUMGARTEN *Diss.* seu *Vindic. textus Græci contra Harduinum 1742.* ed. Ad 3. nihil probare illum ordinem, unde & nonnullæ lectiones variantes *Petrum* quidem primo loco ponunt, supponunt tamen, Petrum & Cepham heic unum eundemque esse: quod ipsa materia substrata monstrat esse certissimum, agnoscentibus ipsis RC. Scriptoribus. Ad 4. esse suppositum nulla ratione probandum. Ad 5. paucissima illa nomina, maxime in tam manifesto defectu probationis necessariæ, ne autoritati quidem & numero reliquorum prævalere, nedum argumentis hujus partis probantibus. Ad 6. *chronologiam* istam facti Petrini esse admodum incertam, uti deinceps monebimus, nec, si vel vera esset, id inde probari posse, quod dicit HARDUINUS. Ad 7. solutionum fundamenta iudicabimus in seqq. Ad 8. falsissimas esse consequentias HARDUINI, & manifestam insuper textuum Apostolicorum torturam. Ad 9. denique, *Petri Paulique* facta esse diversissima, nec non factorum istorum circumstantias omnes. Hæc brevissime monere placuit. Copiosiora tamen in ipso colloquio dabimus, sin a nobis requirantur. Maneat igitur certum, quod *Petrus* Apostolus in textu nostro *Paulinæ censuræ* objectum fuerit.

§. 3.

Proximum in exegesi hujus *Historiæ* est, ut in *tempus* hujus censuræ & contentionis inquiramus, quoniam in illo quoque aliquid momenti quæritur ab interpretibus. In specie controvertitur, num illud factum Antiochenum Concilium Hierosolymitanum, quod *c. XV. Actorum* recensent, antecesserit, vel secutum sit? Præterquam quod *Chronologiæ sacræ* studium accuratius hanc investigationem postulare videatur, operæ pretium quæstionis in eo consistit, quod si lapsus *Petri* præcesserit, is levior & excusabilior, si secutus esset, gravior & inexcusabilior videri possit. Communior prope interpretum hypothesis est, præteriisse jam *Concilium*, cum *Petrus* veniret Antiochiam. Existimant, ipsum ordinem *narrationis*

Paulinæ

Paulina ad has cogitationes nos invitare: omnesque circumſtantias *Gal. II.* concordare cum relatione *Lucæ c. XV. Actorum.* Imo ſunt ex Theologis hujus ſententiæ, qui *nullum heic dubium eſſe* audacter pronuntiant. Non obſtante autem hac fiducia haud deficiunt Viri graves & docti, qui contrarium ſibi prorſus perſuadent, atque ad minimum *impeditam* hanc cauſam eſſe fatentur, ſimulque ad poſteriorem hanc ſententiam non obſcure propendent. Ex illis aliqui ratione temporis ſic ordinant facta: " Quatuordecim annis a converſione Paulina Hieroſolymam veniſſe Paulum, eaque ibi fuiſſe acta, quæ *c. I. ep. ad Galatas* recenſentur: poſt menſem unum & alterum *Petrum*, qui Eccleſias peragrando Antiochiam venerat, a *Paulo* reprehenſum: Dum revertitur Hieroſolymam *Petrus*, protervos illos Phariſæos, qui ex Judæa deſcenderant, immoderato erga ceremonias affectu Eccleſiam perturbâſſe Antiochenam, tanto majoribus excitatis tumultibus, quo majorem *Petri* ſimulatio ſpeciem addiderit: Hac occaſione miſſos Hieroſolymam *Paulum* & *Barnabam*, peractaque cetera, quæ ad *Synodum Apoſtolicam Act. XV.* ejusque res geſtas pertinent: Reducem autem a Synodo *Paulum* " poſt aliquot dies (uti verba habent *Lucæ*) moræ Antiochenæ mox in Ciliciam ac Syriam eſſe profectum.,, Compendium vero rationum hujus ſententiæ huc redeunt: Profectiones Pauli in urbem Hieroſolymitanam, quarum fit mentio *Gal. II.* & *Act. XV.* eſſe diverſas, non vero unam eandemque, ut vulgo creditur, cum ratione cauſarum, tum ratione finium. Unam eſſe ſuſceptam ex *revelatione Gal. II. 2.* alteram ex *miſſione* Eccleſiæ Antiochenæ. *Act. XV. 2.* Unius, ſc. prioris, finem fuiſſe Apoſtolatus Paulini & actorum illius defenſionem contra malevolos: poſterioris autem ſedationem a Zelotis excitatæ controverſiæ circa obſervationem neceſſariam legis Moſaicæ. Addunt, exiſtente jam & promulgato Concilii Hieroſolymitani decreto nec litem iſtam potuiſſe amplius ac denuo moveri, nec timeri Judæos Hieroſolyma & a *Jacobo* venientes a *Petro*: *Jacobi* nomen in eo cauſa nulla cum ſpecie potuiſſe a Zelotis prætendi: *Petrum* non minus, ac *Paulum*, ad iſtud decretum Synodi provocaturos: Abſurdum eſſe de *Barnaba* cogitare, quod ante

Con-

Concilium cordate restiterit illis postulatis, post Concilium vero adeo timide cesserit. Denique rationes adversæ sententiæ nihil habere certitudinis, nec pares esse pondere ceteris modo in contrarium allatis, sive historiam rerum gestarum consideremus, sive momenta dogmatica.,, Nos nostra ex parte facile quidem agnoscimus, jus problematis versari in hac causa, nimia decidendi fiducia haud violandum: subductis tamen omnibus vix impetramus a nobis, quin posteriori sententiæ quoad summam rei palmam deferamus. Supposita autem veritate de illius utilitate in solvendis quibusdam dubiis odiosis nihil est dubitandum.

§. 4.

Altioris indaginis est *factum* ipsum *Petri Apostoli*, quod a *Paulo* reprehensum legitur. *Nam*, inquit *Apostolus*, *antequam venissent quidam ab Jacobo, una cum gentibus edebat Petrus: cum autem venissent, subduxit se & separavit ab eis, metuens eos, qui erant ex circumcisione*, *v. 12.* Conf. & seqq. Concurrunt in hoc facto varii actus memorabiles: justa & legitima *Petri* Apostoli cum Christianis gentilibus conversatio & familiaritas: retractatio hujus conversationis post adventum QQ. Zelotarum ex Judæis Christianis: Metus, ne hos offenderet, aut aliquod illis præberet per priorem vivendi rationem scandalum: hincque secuta subductio & separatio ab illis; imitatio hujus exempli per Judæos Christianos Antiochenses, ipsumque etiam *Barnabam*, socium *Pauli* & collegam in Apostolatu ad gentes: indirecta denique instillatio opinionis de necessitate circumcisionis & legis ad communionem cum Apostolis & Ecclesia ex Judæis conversis constante, non tam per doctrinam expressam, quam per occasionem facti & exempli. In his omnibus exponendis prudenter utique dirigendum est judicium. Agitur causa trium vel quatuor Virorum sanctorum, *Petri*, *Jacobi*, *Pauli*, *Barnabæ*, quibus injuriam hic facere periculosum est. Maxime cavendum, ne facta ista vel nimis exaggerentur, vel nimis imminuantur. Quæ *Petrus* Apostolus intendit in hac actione, distinguenda sunt ab illis consectariis, quæ præter ejus intentionem exinde evenerunt. Ita excusandus

dus est *Petrus*, ut *Paulum* haud substituamus reum: ita defendendus *Paulus*, ut propterea Apostolicæ autoritati & infallibilitati in *Petro* nullum creetur præjudicium. Non imputanda simpliciter sunt *Petro*, quæ fecerunt alii. Ex eo, quod nonnulli Zelotæ indiscreti venisse dicuntur ab *Jacobo*, non est temere concludendum, omnium illorum, quæ ipsi postea dixerunt & gesserunt Antiochiæ, autorem & consultorem fuisse *Jacobum* Apostolum. Probe etiam oportet distinguere controversias illius temporis de circumcisione & lege, & diversissimas classes eorum, de quibus inter ipsos Christianos tunc aliqua erat contentio, ut eo certius a facto *Petri* removeri queant, quæ præ ceteris odiosa sunt. In explicatione denique infallibilitatis Apostolicæ, in qua utique maximum religionis revelatæ pondus deprehenditur, ita est procedendum, ut cum hoc facto *Petri* Apostoli sine ulla veritatis necessariæ jactura commode possit conciliari, nec unum alteri noceat. Quodsi jam his præsuppositis conditionibus ostendendum porro sit, quomodo *lapsum Petrinum* Theologi describant? nullam certe rationem eorum habemus, qui nihil heic peccasse Petrum reipsa prætendunt, quoniam illi & certo partium studio ducuntur, & hac interpretatione totam istam historiam, quod absit, faciunt ridiculam. Plerique alii in re ipsa consentiunt, licet verba ipsorum quandoque diversum sonare videantur. Est, qui hæc *quinque* vel *sex* in illo facto contineri existimant; "*primo* peccatum negligentiæ in omissa accuratiori deliberatione: *secundo* peccatum omissionis præcepti divini *Petro* prius in visione dati, quod & ad præsentem causam pertinuisset omnino: *Tertium* inconstantiæ & levitatis, quæ in *Petri* ipsius, nec non Evangelii, dedecus cesserit, cum aut gentilium Christianorum epulis abstinere statim ab initio debuerit, si id fieri non licuit, aut ab eorum mensa recedere ipsi non licuerit, si ea legitime usus fuerat: *Quartum* in charitatem, dum Judæis jam satis a gentilium commercio alienis occasionem præbuit id odium renovandique consilium *Salvatoris*, ut gentes Judæique in unum tandem corpus coalescerent consanguinitate doctrinæ vinculisque charitatis connexum: *Quintum* coactionis per exemplum, quasi circumcisione opus esset Christianis gentilibus, ut communi

muni menſa cum Apoſtolorum principe uti poſſent, ejusque colloquio frui. *Sextum* denique diſſimulationis vitium, dum profitebatur divortium ab hominibus, quos tamen intus amore & benevolentia complectebatur.,, Alii paulo generalius & brevius factum Petri exponunt, dum ſcribunt: "Error Petri dupliciter conſiderandus eſt; primo directe, & in ſe: deinde indirecte ratione eorum, quæ per conſequentiam plauſibiliter hinc educi potuerunt. Per ſe igitur error Petri erat non in theoria, ſed in praxi, non in doctrina, ſed in converſatione, non in ipſo dogmate libertatis Chriſtianæ, ſed in ejusdem libertatis vero legitimoque uſu. Nihilominus autem indirecte videbatur ipſo facto convelli (ex opinione gentilium Chriſtiananorum) articulus de libertate Chriſtiana, quaſi gentes non ſint a lege circumciſionis & ſtatutorum Moſaicorum liberæ, qui error immediate ſecum trahebat errorem alterum, ac ſi ſusceptio circumciſionis atque legis Moſaicæ neceſſaria eis ſit ad juſtificationem & ſalutem, & quaſi nec juſtificatio, nec ſalus, conſtet, niſi circumcidantur, & legem obſervent; quæ quidem duo falſa dogmata non erant Petri, ſed Pſeudoapoſtolorum. At factum Petri ſic poterat accipi, imo a gentilibus Chriſtianis ſic accipiebatur, ac ſi dogmati Pſeudo-Apoſtolorum in utroque articulo quadantenus applauderet.,, Apud alios *Viros doctos* rem ita expoſitam videmus. "Omnis, inquiunt, perplexitas *Petri* fuit circa facti circumſtantias, ubi prudentiæ ſuum moderamen eſt. Ea docet omnibus omnia fieri, etiam infirmis veluti infirmum. *1. Cor. IX. 20. 22.* Id exiſtimabat *Petrus* hic habere locum, ne offenderet circumciſos, quorum maxime erat Apoſtolus. *Paulus* contra, & perſpicacius, ac verius arbitrabatur, ex intempeſtiva hac accommodatione plus ſcandali naſci. Tota ergo hæc controverſia fuit non de doctrina Chriſtianæ libertatis, ſed de illius uſu hic & nunc, in quo Paulus prudentiæ regulas melius perſpiciebat. Fatemur itaque hic errorem *Petri*, non in facto ſolum, ſed & judicio, at circa factum, non circa caput aliquod doctrinæ,, His adhuc addimus formam explicandi alterius cujusdam *Viri celebris*, qui his verbis utitur. "Petrus, *ait*, recuſavit comedere cum gentilibus Chriſtianis, non quod

ignoraret libertatem Evangelicam, fuit enim is miraculosa visione ea de re instructus. *Act. XI.* sed quia metuabat offendere Judæos. Consequentiæ hujus rationis agendi erant periculosissimæ. Nam si Apostoli hunc in modum a sua communione rejecissent incircumcisos, signum id fuisset, se credere circumcisionem ad salutem necessariam, quod tantundem fuisset, atque ipsum evertere Evangelium, & obligâsset gentiles vel ad renuntiandum fidei, vel ad subjiciendum se servituti legali. . Quodsi igitur attendamus huic historiæ & Zelo Pauli cum constantia conjuncto, videtur sine temeritate dici posse, ipsi, post Deum, Ecclesiam debere libertatem ab jugo legis. „ Qui omnium brevissime mentem suam de hoc negotio exprimere volunt, ex formula notissima *Tertulliani l. de Præscript. c. 23.* contenti sunt dicere, *non prædicationis, sed conversationis fuisse vitium;* eodem tamen procul dubio sensu quoad summam rei, quem copiosiora reliquorum verba præ se ferunt.

§. 5.

Quamvis autem in proxime dictis gravia multa occurrunt de *facto Petri Antiocheno*, certum tamen est, non aliunde istud luculentius posse illustrari, quam ex censura *Pauli Apostoli*, prout eadem *l. c.* emphatice describitur. Κατα προσωπον, *inquit v. 11.* αυτω αντεϛην, οτι κατεγνωσμενος ην. & *v. 14.* Αλλ' οτε ειδον, οτι ȣκ ορθοποδȣσι προς την αληθειαν τȣ Ευαγγελιȣ, ειπον τω Πετρω εμπροσθεν παντων. Ει συ Ιȣδαιος υπαρχων εθνικως ζης, και ȣκ Ιȣδαικως, τι τα εθνη αναγκαζεις ιȣδαιζειν; Nulli dubitamus (ne multis ambagibus exegeticis heic utamur) αντιϛηναι hic esse cum Zelo, & gravi cum conatu, id agere, ut contrarium obtineatur, κατα προσωπον hic non esse in speciem, & assumta saltem contradicentis persona, sed in faciem, præsenti, & directo ad ipsum *Petrum* sermone contradicere: κατεγνωσμενον merito exponi per reprehensibilem, sive eum, qui reprehensionem mereretur, neque enim prius *Petrum* ante censuram *Pauli* a quoquam fuisse reprehensum legimus, ȣκ ορθοποδειν προς την αληθειαν τȣ Ευαγγελιȣ esse tan-

tun-

tundem, ac non recte agere secundum veritatem Evangelicam de salutari rectoque usu libertatis Christianæ, qua in re gradatio diversa fuit in *Petro* & *Barnaba*, ac in ceteris, qui facto *Petri* contra illius intentionem mentemque longius provexerunt; hæc enim verba de utrisque interpretari nihil vetat: Conf. *v. 15.* υποκρισιν & συνυποκρισιν non esse falsitatem cordis in cultu Dei & religione: sed non conformiter agere interiori cognitioni de licita conversione cum Christianis ex gentibus: Εμπροσθεν παντων indicare, *Paulum* non privatim, & erga solum *Petrum*, vel præsentibus etiam privatim paucis, sed publice, in Ecclesia, sive in conventu fraternitatis, omnibusque audientibus, eam in *Petrum* censuram strinxisse: εθνικως ζην idem esse, ac conversari familiariter, & cibum quoque capere, cum gentilibus ad Christum conversis: atque adeo e contrario Ιudαιζειν nihil esse aliud, quam more Judæorum abstinere a commercio cum illis, qui non erant circumcisi, si vel conversi fuerint ad religionem Christianam. Αναγκαζειν denique nihil aliud hic posse significare, quam autoritate & exemplo efficere apud eos, qui venerabantur Petrum ut Doctorem & Apostolum indubie fide & imitatione dignum, ut crederent, se melius tutiusque in hac causa facere non posse, quam si tanti ac primarii Viri in Ecclesia Christi sequantur exemplum. Ex his quoque vera censuræ Paulinæ *materia* satis intelligitur una cum rationibus & fundamentis, quibus illa superstructa est, nec minus apparet, quousque hæc conveniant cum illis, quæ §. 4 jam anticipata sunt ex variis *Autoribus* facti Petrini interpretibus? Neque hoc loco multum immorabimur paratragœdiationibus HARDUINI, quibus meras hic fingit hæreses, statuitque *hæreticum* fore *Petrum*, & *hæreticorum fautorem*, *siquidem is ipse fuisset, qui tam socorditer se gessit Antiochiæ*, ut eo facilius, (quod supra jam observavimus) omnia in alium Cepham transferat. Falsum autem est, tales ineptias exaggeratas convenire cum descriptione facti illius Apostolica, quæ ne quidem quadrarent in *Cepham* istum a Petro diversum, quem ille substituit, si vera sunt, quæ vel in sola *ad Galatas epistola* de eodem referuntur. Quo jure *Paulus* censuram illam instituerit? & adversus ipsum quoque *Petrum*

institverit? de eo nulla deberet esse inter Christianos controversia, nisi ex amore suarum hypothesium vel clarissima sæpe turbare & obscurare consuevissent, quod in hac quoque circumstantia strenue molitus est HARDUINUS. Si vel inferior & subditus *Petro* fuisset *Paulus*, (qualis certe non fuit, & fuisse absurde supponitur) nemo sapiens dubitat, etiam in hoc casu jus esse inferiori in superiorem, non quidem autoritatis & potestatis, sed charitatis & libertatis, maxime in causa religionis ac veritatis gravis & arduæ, quæ omni personarum acceptione potior est. Si scientia juris & facti hic requiritur ad censuram legitimam, etiam hæc abundavit in *Paulo*. Factum publicum & notorium latere ipsum non potuit, eo usque maxime in sequelis suis provectum. In cognitione juris omnibus aliis potior fuit *Paulus*, cum mensura revelationis, tum illius recto & profundo intellectu, item ex specialissimis vocationis suæ Apostolicæ experimentis, generosa cum fidelitate quavis occasione applicatis. Si Apostolica autoritate, summis præsidiis munita, opus hic fuit, nihil sane excipi potest adversus *Paulum*, qui ut Apostolus, ut *Petri* Collega, ab ipso ceterisque Apostolis præsentibus jam agnitus, ut Apostolus gentium denique, in hac ipsa agendi ratione per suffragium Apostolicum approbatus, jure suo, eoque summo, his usus est. Porro si laudabile fuit in *Paulo*, quod curam gessit, ne prædicando Evangelium inter gentes salva libertate earum a lege Mosaica *in vanum curreret*, si dissenserint Apostoli, idque, ne fieret, haud gravatim obtinuerit. *Gal. II. 2.* idem sane scopus Antiochiæ alio, quam *censura Petri*, remedio impetrari non potuit, qua parte summæ necessitati obsecutus est, solus enim tanto negotio par erat, & præter ipsum nemo tam generosum præ se tulit animum in hac causa pro gloria Domini, salute animarum, & avertendis quibuscunque periculis sic satis jam grassantibus. Istud quoque pro se *Paulus* habet præjudicium, quod nihil hic fecerit per solas probabilitates ratiocinandi, imo ne quidem ex unico gratiæ communis & ordinariæ stimulo, sed nutu etiam ac instinctu Spiritus impulsus fuerit, ad hanc fiduciam, cum ipse de se ipso referre potuerit, se ad eundem finem *ex revelatione* ad conferendum cum Apo-

stolis

ſtolis Hieroſolymam abire juſſum. *Gal. II. 2.* In vanum argutatur HARDUINUS, ſi heic res *Paulo* fuiſſet cum *Petro*, eum adverſus regulam Chriſti de *fratre peccante* privatim prius admonendo *Matth. XVIII. 15. ſeq.* datam peccaturum. Imo vero nihil peccavit *Paulus* publice & εμπροσθεν παντων *Petrum* redarguens, ſi vel nulla alia admonitio privata præceſſerit: (quod tamen nonnulli conjiciunt) Conſonabat hoc factum præcepto, quod procul dubio recte & legitime *Timotheo* quoque dedit, *eos, qui peccant, ſc.* cum ſcandalo, *coram omnibus arguendos, ut & reliqui timeant. 1. Tim. V. 20.* ubi *v. 21.* graviſſima adjicitur *obteſtatio in conſpectu Dei & Domini J. C. & electorum angelorum, ut hoc faciat* χωρις προκριματος, μηδεν ποιων κατα προσκλισιν; h. e. absque ſtudio partium & acceptione perſonarum. Quid igitur mirum, exemplo ſuo præiviſſe *Paulum* Apoſtolum? Ut taceamus, regulam Domini *Matth. XVIII.* de læſione privata docere, non de delicto publico, quale in facto Petri deprehenditur.

§. 6.

Nondum exhauſimus momenta *textus noſtri*, niſi prius oſtendere pergamus, quasnam partes in hac hiſtoria habuerint *Jacobus*, *Barnabas*, ceterique ex Judæis Chriſtiani Antiochiæ tunc degentes? *Venientes quosdam ab Jacobo*, occaſionem primam præbuiſſe *Petro* mutandi rationem ſuam vivendi, *v. 12. c. II.* commemoratur: deinde *v. 13.* adjicitur, ſimulâſſe una cum *Petro* & *reliquos Judæos*: denique *Barnabam* quoque abreptum eſſe, cum emphaſi dicitur. Nolumus hic tractare quæſtionem hiſtoricam de *tribus Jacobis* alias vexatiſſimam. Sufficit nobis, *Jacobum*, *Cepham*, & *Johannem* a *Paulo* conjungi *c. II. 9.* tanquam columnas, & *Jacobum* iſtum *c. I. v. 19.* diſerte appellari *unum ex Apoſtolis*. Nullum igitur dubium eſt, non eſſe perinde, quid de *Jacobo* dictum a *Paulo* haberi debeat? Ερχεσθαι igitur *απο* Ιακωβȣ non una ratione exponi ſolet. Sunt Viri peritiſſimi, qui credant, nihil notari in his verbis, præter profectionem ex Hieroſolyma, ubi fuit Jacobus. Aliis id non eſt veriſimile, quin potius *miſſos* ab *Jacobo* exiſtimant. Nec deficiunt

ciunt Viri docti, quibus venire *απο Ιακωβȣ* idem esse videtur, atque *exire seque separare ab Jacobo* tanquam diversum ab eo sentientes. Auget suspicionem consilium diu quoque postea, ab eodem *Jacobo* datum *Paulo* Apostolo propter multas *myriades Judaeorum, qui crediderint quidem, sed omnes Zelotae sint legis. Act. XXI. 20.* ut sc. se purgaret ipso facto a suspicione traditae defectionis a lege. Videri igitur possit, in missione illa Antiochena hoc intendisse *Jacobum*, ut legati ipsius caverent, ne legi Mosaicae, quod ad Judaeos attinet, ullum crearetur praejudicium, idque in causa fuisse, cur eorum praesentiae & consilio tam facilem se *Petrus* praeberet. Utique non absque verisimilitudine haec dicerentur, si *Petrus* hac saltem parte Judaeis conversis esset gratificatus: sed cum id conjunxerit cum separatione a Christianis ex gentilibus, quorum societatem prius haud refugerat, non sane hac parte implevit consilium *Jacobi*, cujus revera longe diversa erat sententia, uti *Concilii Hierosolymitani* historia, sive prior fuerit, sive posterior, luculenter docet. *Act. XV. 13. seqq.* ac praeterea ibidem nomine *Jacobi* totiusque *Synodi* memorabili sermone dicitur, se audivisse, quod *quidam ex suis egressi* (εξ ημων εξελθοντες) *turbaverint animas fidelium ex gentibus, labefactantes animas ipsorum, jubendo, ut circumcidantur & legem servent, quibus tamen* NB. *hoc non praeceperint.* Quodsi autem hos ipsos eosdem fuisse cum venientibus ab Jacobo *Gal. II.* ostendi posset, certum esset, *Jacobum* immunem fuisse illius culpae, cujus nonnulli ipsum in simulant, & *Petrum* in facto suo non tam *Jacobi* ipsius rationem habuisse, quam quod fuerint Hierosolymitani & ex circumcisione, iique forte in suo ordine & genere non postremi. Minorem habet difficultatem, quod dicitur de *Judaeis reliquis v. 13.* illis sine dubio, qui jam adsuefacti fuerant conversationi cum Christianis ex gentilibus, & in ea re per exemplum prius *Petri* confirmati, tunc vero facto ejus contrario in omnia contraria rursus deflexerunt, atque adeo, ut verba haec sonare videntur, tota Ecclesiae Christianae pars ex Judaeis constans. Quod vero *Barnabae* mutatio his omnibus successit, sicut ordo narrationis id indicat, docet sane, tum demum cessisse hunc Virum alias

alias ſolidum in eo negotio, poſtquam credidit, tantæ multitudini ad exemplum *Petri* aliquid dandum eſſe, neque eum credidiſſe, vel ſuis, vel *Pauli*, principiis docendi hucusque uſurpatis in ſumma rei, vel in perpetuum, aliquod allaturam hanc συγκατάβασιν detrimentum, quod vel inde conſtare videtur, quoniam iſte quidem caſus amicitiam collegialem *Pauli* & *Barnabæ* in *Apoſtolatu gentium* haud ſuſtulit. Vid. *Act. XV. 2. ſeq. 12. 25. 35.* Omnes hæ circumſtantiæ illuſtrant memorabilem hanc hiſtoriam, atque oſtendunt, qua parte ſteterit vitium illius facti, vel non ſteterit? & unde peti debeant cautelæ neceſſariæ, ne quis illud ſive nimis extenuet, ſive nimis exaggeret? Patet maxime ex toto tenore rerum geſtarum, periculum præcipuum fuiſſe in *conſequentiis* vel revera inde ſecutis, vel ſecuturis, niſi Dominus eas mature, ſua partim gratia, partim miniſterio Pauli, avertiſſet aut correxiſſet: quæ non quidem *finis* erant *operantis*, ſed tamen *finis* erant ipſius *operis*, quod utique ſufficiebat ad juſtam *Pauli* cenſuram, ut demonſtraret, non eſſe eam actionem puram innocentemque, quæ & in agente vitio non carebat, & apud tot alios nocebat ſolidis in Evangelio J. C. & libertate Chriſtiana profectibus, quamvis de cetero, quoad primos actus, prætextu boni finis, & melioris ipſo facto intentionis in ſuis Autoribus non penitus deſtituta.

§. 7.

Ultimo loco in exegeſi hujus hiſtoriæ inveſtigandum, quem fructum effectumque cenſura *Pauli* habuerit? Omnes heic laudant impenſe *Petri* Apoſtoli humilitatem docilitatemque in ea admittenda. Nec tamen hujus rei vel verbulo meminit *Paulus* in ſua *ad Galatas epiſtola*, cum videri poſſit, excellenti hoc argumento omnino locum aliquem concedi in hoc caſu debuiſſe. Illi interim, qui Concilii Hieroſolymitani res geſtas hoc Petri facto poſteriores eſſe exiſtimant, facilius probare poſſunt δευτέρας hujus Apoſtoli φροντίδας, quam qui ratione temporis priores fuiſſe judicant; horum enim

C hypo-

hypothesis odiosissima invidia gravare videtur hunc Apostolum, quæ si absque detrimento veritatis vitari possit, nihil sane dubitandum, hanc partem præ altera esse amplectendam, sectandamque. Quodsi vero post factum Petri, discessumque ex Antiochia, venientes ab Jacobo, vel, si mavis, *Ex-Pharisæi Zelotæ* secundum *Act. XV. 1. 5.* urgeri ausi sunt, *nisi circumcidantur ritu Mosis, non posse gentes servari*, audaciores sc. facti per ea, quæ occasione Petrinæ subductionis evenerunt, in mentem venire hic potest, homines istos nihil hujusmodi ausuros, si *Petrus Apostolus* publice & notorie retractasset factum suum, & renovata cum Christianis ex gentilibus conversatione esset testatus, contra mentem suam alio detortum fuisse exemplum suum. Enimvero hæ dubitandi rationes neminem abripere debent ad sententiam *Petro* adversariam. Cum longe probabilius fit, postea demum *Concilium Hierosolymitanum* fuisse celebratum, certam utique habemus veram & emphaticam professionem *Petri* Apostoli de causa hac controversa: certumque *Jacobi* Apostoli testimonium de Zelotis illis a se nequaquam missis & instructis, ac præterea persuasi esse possumus de summa *Petri* & *Jacobi* harmonia cum theoria & praxi *Pauli* Apostoli, utpote solenniter approbata & confirmata. Quod & alii confirmant Theologi ex *elogio Petrino sapientiæ Paulo divinitus datæ*: additoque *fratris dilecti* titulo, quod *2. ep. c. III. 15.* legimus, quasi his verbis *non obscure a S. Paulo in hac ipsa etiam contentionis causa dicta & facta, ceu profecta a cœlesti sapientia, probare voluisset.* Et quidni credamus, cessisse *Petrum Paulo* nonnisi ea monenti, quæ nec ipse negare potuit vera esse & recta? Imo quis crediderit, eum potius illorum partes retinere voluisse, qui cum summa ipsius invidia, & maximo Evangelii præjudicio, ad periculosos excessus contra intentionem suam processerunt? *Barnabam* in specie mature ad se rediisse, ex *actis* illius *seqq.* perspicue intelligitur, ad quæ supra jam provocare cœpimus. De *Christianis ex Judæis*, qui Antiochiæ erant, vix uniforme simileque judicium formare licet, quoniam hac in causa dissimilis inter moderatos & Zelotas esse solebat sententia, non aliter ad plenam reducenda harmoniam,

moniam, quam per unanimem *Synodi Hierosolymitanæ* decisionem, quæ ad minimum libertatem Christianorum ex gentibus extra omnem posuit controversiam, & moderatis quibusvis penitus satisfecit. *Zelotis* vero ex numero Christianorum ex Judæis male tandem cessisse istam in tuenda suæ gentis ad legem obligatione pertinaciam, non *sacræ* modo testantur *literæ*, sed luculentis etiam exemplis, iisque tristibus, *Historia* demonstrat *Ecclesiastica*, ut inde appareat, magnæ partis Christianorum ex Judæis, præcipue Hierosolymitanorum, ruinam malum istud post se traxisse, siquidem antiquis istis Ecclesiæ monumentis tuta fides præstari potest. Plena utique charitatis erat Apostolorum ceterorum diuturna ergà Christianos ex Judæis indulgentia: postquam vero *Paulus* in plerisque suis *epistolis* libertatem Evangelicam a lege Mosaica non solum gentilibus, sed etiam Judæis conversis, strenue asseruit, hujusque continuationem affectatam toti N. T. & Evangelii indoli contrariam esse, multis demonstravit argumentis, constans & multiplex abusus prioris indulgentiæ, quam male interpretabantur quam plurimi, *ministerio* maxime *Paulino* vehementer restitit, sanctamque animorum conjunctionem in fidelibus istius temporis ex utraque gente infeliciter impedivit, quæ tamen magnum operæ pretium Redemtionis, teste *Scriptura*, esse debuerat. Hi quidem eventus temporis ratione longe excedunt *textum nostrum*: sed cum is absque his haud plene perfecteque intelligi possit, æquum non erat illos hoc loco penitus prætermittere.

§. 8.

His exegetice ac historice præmissis quæstiones nonnullas ad *usum abusumque facti Petrini* in titulo indicatum pertinentes subjungimus. *Prima quæstio*, eaque capitalis & maximi ponderis, huc redit: annon factum Petri, prout in Paulina censura describitur, notiones, quas vulgo fovent Christiani de *infallibilitate Apostolica*, plurimum imminuat, imo funditus evertat? Plerique interpretes *epistolæ* ad *Galatas*, aliique etiam Theologi, cum in hanc incidunt

historiam, gravissimi istius dubii mentionem faciunt, nonnunquam brevius, nonnunquam copiosius. Omnes pro dignitate argumenti hoc fecisse, nemo temere dixerit. Omnes tamen crediderunt dixisse, quod satis est. Qui prorsus neglexerunt hanc quæstionem, ea procul dubio de causa id fecerunt, quoniam in ea objectione nullam se putabant videre verisimilitudinem. Certum autem est, difficultates hujus causæ plus mereri, quam merum contemtum, frigidamque præteritionem. Primo intuitu nulli Doctori infallibili convenire videntur ea, quæ in explicata hucusque *historia* de *Petro* narrantur. Retractare ex metu aliorum bene dicta & facta: non recto gradu incedere secundum veritatem Evangelii: oblivisci, vel saltem non sequi, revelationem sibi olim divinitus factam: defensionem sui in simili casu prius feliciter susceptam sub præsidio illius revelationis eo loco, quo maxime valebat, negligere: in speciem aliquam hypocriseos incidere: errori & lapsui aliorum per imprudentiam speciosam præbere occasionem, & alia similia, ab infallibilitatis dono videri possunt alienissima. Hæc autem omnia, ut vidimus, in Petro ceterisque, qui ejus secuti sunt exemplum, gravissime Paulus reprehendit. Conf. eam *objectionis* formam, quam ex CLERICO solvendam sibi proposuit HERM. WITSIUS *T. I. Miscell. p. 339. seq. Clare hinc evincitur*, inquit CLERICUS, *infallibilitatem Metaphysicam, quæ tribuitur Apostolis, non esse traditionem Apostolicam. 1. enim dissimulatio doctrinæ veræ, utilis, & in iis rerum circumstantiis prædicandæ, & per quam aliis errandi datur occasio, humana infirmitas est, quæ non convenit iis, quos mera Spiritus organa credis. 2. Ista, qua Petrus utebatur agendi ratio, non minus insinuabat gentilibus circumcisionis observandæ necessitatem, quam si eam verbis docuisset. 3. Probabile est, Petrum & Barnabam credidisse, dissimulationem hanc sibi esse licitam, nisi malis ipsos improbe contra conscientiam egisse. Atque ita aliqua cespitatio etiam in doctrina agnoscenda*,, Nobis de ardua & gravi quæstione sic videtur. *Primo loco* censemus, solidam esse Theologorum responsionem, indubium esse, quod *Petrus* in hoc ipso negotio ejusdem cum *Paulo* fuerit sententiæ, fas sc. esse homini Judæo, familiaritatem cum fidelibus ex gentibus colere. Sic ipse edoctus

erat

erat per oraculum *Act. X. 19. 20.* Sic docuerat Hierosolymitanos. *Act. XI. 12. 17.* Sic confirmaverat sua praxi. *Gal. II. 12.* Non fuisse igitur errorem in dogmate aliquo, neque enim nunc aliter docuisse, quam olim. Atqui, quando Apostolis infallibilitas adscribitur, id maxime eis competiisse creditur in docendo, s. viva voce, sive scripto. Hoc semper prætenditur, quando docuerunt Viri Dei de rebus religionis, id eos præstitisse φερομενες υπο πνευματος αγιε, neque θεληματι ανθρωπε prolatum fuisse, quod docuerunt, ita ut verbum eorum recte potuerit accipi *tanquam Verbum Dei. 2. Petr. I. 21. 1. Thess. II. 13.* In hoc certe casu non fuit *Petrus* Apostolus *Gal. II.* Non obstat, si quis dixerit, exemplo docere, magis adhuc referre, quam voce & scripto: eo enim non obstante exemplum pertinet ad vitam & actiones, quousque infallibilitatem, vel potius impeccabilitatem, non extendunt Theologi, alias enim *Paulo* quoque id donum esset abjudicandum, quia is & *Barnabas* in ejusmodi inciderunt παροξυσμον, ut alter ab altero discesserit. *Act. XV. 39.* Nolumus tamen heic cum quibusdam provocare ad abnegationem Domini, qua *Petrus* indubie graviter peccavit, quoniam certum est, hunc Apostolum tum temporis nondum fuisse infallibilem, ac multo minus impeccabilem. Quod in eo casu *Petrus* Apostolus non provocaverit dogmatice ad libertatem Christianam conversorum ex gentibus, id non ideo factum, quod eam non crediderit, vel contrarium docere intenderit, sed quod putaverit, se in casu licito versari *pro illo tempore*, qui illi veritati generali nihil detrahat. Hoc non tantundem erat, ac docere errorem, sed in applicatione veritatis practica imprudentius agere. Neque ideo egit hac parte contra conscientiam, quod porro urgetur. Hactenus prima & communis responsio nobis quoque probatur. Verum *secundo* existimamus, superesse aliquid, quod illi accedere debeat. Revera utique cavendum est, ne infallibilitatem Virorum Dei, quam prætendunt & docent Theologi, cum excessu & exaggeratione ita concipiamus, ut veritati & phænomenis certis minime quadrare videatur. Inspiratio divina sive θεοπνευςια in Viris

Dei non erat perpetua, nec in rebus omnibus, & circa quævis objecta. Unde mirum aut paradoxum videri nobis non debet, si illi in iis casibus, in quibus infallibilis illa θεοπνευστια non aderat, aliquid egerunt proprio suo judicio, ut alii homines, neque semper absque nævo & imperfectione, quemadmodum revera hujusmodi aliquid in facto *Petri* contigit. Finis θεοπνευστιας & doni infallibilitatis idem nos docet. Quoties Deus Ecclesiam per hos homines Dei institui voluit ad firmam & duraturam fidei & morum regulam, semper illi tanquam exercitati non modo in hoc commercii divini genere repræsentantur, sed etiam ut stantes sub singulari Φορα Spiritus, & absque voluntate humana non humanum, sed divinum, verbum annunciantes. Id ut semper fieret, & in omnibus, necesse non erat, & potuit in multis ad id, quod sentire & facere conveniebat, gratia quoque sufficere ordinaria, quæ certe & hic suffecisset *Petro*, si mensura cognitionis suæ & recti, quod possidebat, judicii sine metu & perturbatione fuisset usus, eamque ubique recte & circumspecte applicâsset. Hic nævus dono infallibilitatis in Petro non obstitit in aliis, quibus ad nutum Dei & Salvatoris administrandis docendisque destinatum erat & necessarium. Sicut & ratione modi infallibilis ista inspiratio, ubi locum habuit vere, non est concipienda per modum cujusdam violentiæ & raptus irresistibilis, in quo apud Viros Dei nullus facultatum propriarum usus actusque sub directione Dei habuisset locum, ut nonnulli contra hanc doctrinam per ludibrium disputant. Neque dubium est, multa adhuc alia notatu digna occurrere in hac materia accuratiori meditatione & ανακρισει dignissima. Dum igitur nos ipsi haud fingamus notiones infallibilitatis incongruas, & exemplis Virorum Dei non usquequaque quadrantes, (in quo nostra deinde culpa est, non Dei aut verbi divini) nulla sane nos coget necessitas ad periculosas hujusmodi consequentias delabi, quales temerarii homines, instar araneorum ex melle venenum conficientium, ex hujusmodi textibus formare & excitare solent. Conf. ea, quæ in *Instit.* nostris *Theologiæ Exeget. dogm. p. 101. seq.*

§. 9.

§. 9.

Addimus nunc *quæstionem secundam*: an factum *Petri* Apostoli hucusque traditum quicquam conferre possit ad illustrationem & legitimationem distinctionis inter infallibilitatem Papæ in jure, & fallibilitatem in facto? Occasionem huic quæstioni præbet HEIDEGGERUS, dum scribit, *historia contentionis illius jugulari etiam* δογματικην προληψιν *de infallibilitate Papæ in jure, & fallibilitate in facto, quam moderatiores tuebantur hactenus. Erravit sane Petrus* (sic pergit) *in facto, non lapsus est, ut recte Tertullianus adversus Marcionem l. 5. c. 3. in perversitatem divinitatis, i. e. in subversionem articulorum fidei. Nihilominus separationis, subductionis, simulationis suæ facto & Judæos & gentes in errorem doctrinæ, quem etiam Nazaræi errarunt, duxit, ut legem necessariam esse putarent. Nihili ergo distinctio illa est, ubi de Doctore infallibili agitur. Nam & facta Doctoris docent. Diss. Select. T. III. Diss. XV. de contentione Petri & Pauli §. 30. p. 643.* Videtur heic ad *Historiam Jansenismi* alludere Theologus Tigurinus; *Jansenistæ* enim maxime fuerunt illi, qui in ea distinctione juris & facti non minimum quæsiverunt præsidium, sibique integrum esse crediderunt statuere, quod Papa R. in *facto Jansenii* erraverit, dum fateantur, eum in quæstione juris recte & infallibiliter definivisse, quamvis ne hoc quidem omnes satis serio sibi persuaserint. Neque dubium est, etiam alios Theologos RC. ante controversias illas jus & factum hoc modo distinxisse. Eo tandem illæ lites redactæ sunt, ut temperamentum inventum sit ad minuendam rei invidiam, Ecclesiam vel Papam non quidem in *omnibus* factis, sed tamen in *factis dogmati innexis* censeri oportere infallibilem, quoniam nimirum ipsorum dogmatum certitudini alias non satis cautum esset; de quibus omnibus nos quoque in *T. II. Historiæ* nostræ *Ecclesiasticæ* momenta necessaria collegimus hoc loco utique minime repetenda. Quo jure autem hanc distinctionem refellat HEIDEGGERUS exemplo Petri? fateor me non perspicue intelligere. In persona *Petri* infallibilitas juris, & fallibilitas in facto certa est. Si hæc in Doctore αναμαρτητω seu infallibili simul adesse semper debent, non

sane

ſane apparet, quomodo in *lapſu Petrino* circa factum ſalvari in univerſum ipſius poſſit infallibilitas, idque eo magis, ſi ad jus ipſum extendatur, ſub prætextu, quod *& facta Doctoris doceant*. Enimvero HEIDEGGERUS ipſe prius §. *XXI.* communi more reſponderat ad hanc ipſam objectionem inter dogma & actionem Petri, h. e. inter jus & factum diſtinguendo. Quodſi igitur vere probari poſſet ex aliis rationibus Eccleſiæ vel Papæ infallibilitas in dogmatibus, putem, nullam illis de fallibilitatis in factis poſſibilitate movendam eſſe controverſiam. Veriſſimum autem eſt, neque facti, neque juris, infallibilitatem ipſis revera competere.

§. 10.

Nulla vero ex conſectariis quæſtionibus majorem excitat ſtrepitum, quam *tertia:* ſc. num tota hæc hiſtoria de *lapſu Petri* ac *cenſura Pauli* adverſus ipſum oſtendat, Monarchiam & Supremarum Petri ac R. Pontificis in totam Eccleſiam, quam prætendunt RCatholici, omni jure ac fundamento carere ſolido? Vix ullus eſt Scriptor Proteſtantium, qui hoc conſectarium urgere non ſoleat, & quidem cum vigore & fiducia. Creſcit horum in diſputando parrheſia, cum vident, in tot formas affectatas ſe induere *Pontificios* in interpretatione hujus hiſtoriæ, quod pro manifeſto habent indicio, ſentire ipſos robur & efficaciam objectionis, dum vel alium *Cepham* locum in *Petri* ſubſtituunt, vel meram ſimulationem & actionem ex compoſito in illa contentione fuiſſe prætendunt, vel præcipuam partem *cenſuræ Paulinæ* in alios transferunt, vel ita explicant factum *Petri*, ut mera prope innocentia videatur; vel ad minimum omnem autoritatem & poteſtatem cenſendi, ſola charitate & humanitate, quæ inferiori quoque erga ſuperiorem libera eſt, relicta, *Paulo* Apoſtolo abjudicant: Id enim reſpondendi ac diſputandi genus facile evertitur, ac ne quidem a prudentibus ac judicioſis RCatholicis probatur, uti pridem multis horum confeſſionibus a Noſtratibus evictum eſt. Rationes autem textuales, quibus heic utuntur, huc redeunt:

deunt: *Paulum* per hanc *Petri* censuram contra obtrectatores & adversarios suos confirmare suam cum Apostolis æqualitatem: divinam autoritatem redolere eam resistendi corrigendique libertatem: submisisse se huic censuræ *Petrum* sine omni provocatione ad læsam autoritatem suam: Strinxisse censuram *Paulum* Apostolum coram omnibus, qualis actus secundum principia E. R. nostra ætate esset intolerabilis apud *successores Petri*: *Petrum* non ob hæresin, sed ob factum, fuisse a *Paulo* tam acriter reprehensum: id vero in Pontificem R. non licere, *nisi in casu hæreseos*, secundum modernas vel recentiores hypotheses: ut multa alia similia taceamus, quæ certatim apud Theologos occurrunt. Quodsi jam nostrum de hac controversia requiratur judicium, facile ante omnia agnoscimus, posse ingens discrimen inter *Petrum* & præsumtos ejus *successores* ad oculum demonstrari ex his actis, & impudentes vere esse etiam ex suo Systemate, qui, postquam viderunt & agnoverunt justam & legitimam Petri censuram, humiliter & legitime admissam, publicis tamen decretis inserere ausi sunt horribilem hanc & insolentissimam sententiam: *Si Papa, sua & fratrum suorum salutis negligens, inutilis & a bono taciturnus sit, insuper innumerabiles populos catervatim secum ducat cum ipso plagis multis in æternum vapulaturos, quod nihilominus culpas ipsius nemo mortalium redarguere præsumat, quia cunctos ipse judicaturus, a nemine sit judicandus.* Sed cum non tota sic insaniat Romana Ecclesia, æquum simul esse censemus, contra eos solos hoc uti argumento, qui talia adoptant ac defendunt principia, crassos sc. *Ultramontanos*, quibus nihil in hac causa nimium est. Ceteris paribus si aliunde probari posset *Primatus Petri* & *successorum* ejus, (quod tamen falso prætenditur) contra illum ex hoc *loco nostro* vix quicquam aliud deduci posset, quam hunc Primatum esse adhuc erroribus & vitiis obnoxium, non esse supra censuram justam & legitimam, nec esse verisimile, quod nullum remedium legitimum Deus in Ecclesia reliquerit adversus summorum illius Antistitum errores & vitia: rem vero ipsam nullam esse, ex solis hisce textibus sufficienter probari non poterit: posset enim, imo deberet, ille Primatus a falsis illis & spuriis sejungi

 privi-

privilegiis, quibus ne *Petrus* quidem ipſe gaviſus eſt, uti revera hæc a ſeinvicem quam plurimi ſeparant RCatholici, quos tamen ut plurimum totam veritatem heic non aſſequi, ſimul candide agnoſcendum eſt.

§. 11.

Sequitur jam *quarta quæſtio*, an aliquid diſcere poſſimus ex hiſtoria erroris Petrini, & Paulinæ cenſuræ de vero & falſo jure conſequentiarum? Ex eo, quod *Petrus* poſt adventum Judæorum a *Jacobo* in eorum gratiam abſtinuit in poſterum a converſatione cum Chriſtianis ex gentilibus, hanc adverſus ipſum elicuit conſequentiam *Paulus*, quod hac ratione cogat gentes *Judaizare*, ſive, quod idem eſt, ut ſubeant prius circumciſionem & legem Moſaicam, quam admitti queant ad religionem Chriſtianam. & ſocietatem Apoſtolorum & fratrum ex Judæis. Certum erat, hanc non eſſe *theſin* ſeu doctrinam *Petri*, & tamen, quoniam id revera inde conſequebatur, niſi damnum ſua ſollicitudine & reprehenſione *Paulus* avertiſſet, non verebatur hic *Petro* hanc conſequentiam imputare certo ſenſu, atque in illius rationes referre. Recte igitur videri poſſit factum in ſimili caſu, quo nimirum ex dogmate aliquo gravia & moleſta oriuntur conſectaria, ut non modo dogma ipſum imputetur erranti, ſed ipſæ etiam conſequentiæ erroris. Enimvero notum eſt, quanto cum Zelo ſemper contra hujusmodi conſequentias proteſtari ſoleant, qui de illis accuſantur? quantæque lites inter eruditos de iſto jure conſequentiarum exarſerint ne nunc quidem extinctæ? Si verum fateri volumus, plurima eſt in hac quæſtione logomachia & confuſio. Si hujusmodi conſectaria ſunt falſa & male derivata ex dogmate, quis, ea nemini poſſe jure imputari, cum ratione dubitabit? Si ſunt legitime deducta ex antecedentibus, ac præterea agnita pro ſuis, quis ea jure imputari cum ratione negabit? Si ſunt vel innexa, vel vicina huic vel illi dogmati, nec tamen agnita & approbata, quin potius rejecta & abnegata, tunc quidem non licebit, in docentis rationes referre, tanquam theſes & doctrinas directas, at licebit tamen admonere de periculo conſequentiarum iſtarum, & hortati,

ri, ne quis earum participes se reddat cum damno animæ suæ: id quod nullibi magis necesse est, quam apud ingenia & corda Systematica, quorum non raro tentatio est, unum cum altero potius sorbere & connectere, quando vident eas cohærere.

§. 12.

Denique quæri hic potest, an *Petrina* ὑποςολη seu *subductis* a Christianis ex gentibus a *Paulo* reprehensa documento sit, alias quoque separationes Christianorum a Christianis propter ritus & ceremonias, aliasque causas non necessarias, illicitas esse & damnabiles? Movet hanc quæstionem maxime *cit.* HEIDEGGERUS *l. c. p. 643. seq.* §. XXXI. Verba ejus propria sunt ista: *Nec hodie desunt οι υποςολης. Hebr. X. 39. qui nova cujuspiam sanctitatis typho inflati ex alto fratres quosque despiciant, judiciis temerariis infestent, suas iisdem leges severe imponant, adversus eos digitum extendant. Es. LVIII. 9.* σκληραγωγιαν, *nescio quam, certe sine luce & duce Deo, commendent, eos, quos convertere, & quorum regenerationi inservire debuerant, procul a se arceant, recte posita moveant, odio improborum tesseram societatis frangant, denique emendationis Ecclesiæ, quæ quidem bonis omnibus per media divinitus ordinata curæ esse debet, prætextu Zizania sic ex agro Domini eradicare conentur, ut tritico ipsi, tot Satanæ furoribus, tot tempestatibus, obnoxio, novas struant insidias, ne dicam, quantum in ipsis est, illud una cum Zizaniis eradicent. Tanti sc. non erat excussisse jugum Antichristi, nisi vel novum jugum hominum talium subire, vel eorundem communione, & suavissimo communionis fructu, carere velimus.*" Hic jam nos existimamus, omnino rectam esse applicationem *exempli Antiocheni* ad alias quoque *separationes Ecclesiasticas*, sin illæ vere sic sint comparatæ, ut in verbis modo allatis describuntur. Quoad summam rei autem provocamus ad ea, quæ in *Introd.* nostra in *H. E. T. II. p. 1079. seqq.* de hac materia collegimus. Ad extremum multa alia quoque porismata moralia egregia & utilia ex illa contentionis *Petri* & *Pauli* historia collegerunt passim Theologi, e. g. de periculis sanctorum quoque hominum, de vi illustrium exemplorum in malam quoque partem, de vera & falsa prudentia, de independentia veritatis a magnorum quoque Virorum

 auto-

autoritate, de obligatione adr
gitimas, de efficacia præjudi
gativa unius ſapientis & exer
firmorum & inexercitatorum,
ſtificandis actionibus ſufficient
hoc loco non immorabimur.

§

Ad extremum placet, dun
ſubjicere characteres criticos ec
tatione præ aliis cum noſtris me
noſter in ſuo ad *h. l. Commentar*
quod ſemper ante oculos habuit
bi judicio hanc materiam tracta
iis, quæ ad illuſtrandas diffici
randis illius momentis, contuli
fimum reſpondit in *Sacris Obſerv*
verſam tractavit; quo ex inſtitut
MARCKIUS diligenter non minus
atus in *Sylloge Diſſert. Exerc. XX*
hac in cauſa evolvere CALOVIUM
Galatas, & cum *Grotianis* accur
egregia congeſſit de hoc argum
recte digerendo explicandoque
que ſingulari *Diſſertatione* de *con*
dis ejus Hiſtoriæ conſectariis po
xime capite laudandus, quod
Apoſtolicam inde depromtas ſe
inſtituto propoſuit. Nec pœ
Gallicum, *Præfationem* maxime
NUS denique in *Curis* ad *h. l. Phi*
heic miſit in Compendium.
noſtro pauca, quæ di

TAN

one admittendi reprehensiones justas & le-
præjudiciorum inveteratorum, de præro-
& exercitati supra ingentem numerum in-
torum, de bona intentione non semper ju-
sufficiente &c. quibus amplificandis tamen
bimur.

§. 13.

cet, dum spatium reliquum est, paucis verbis
riticos eorum Scriptorum, quos in hac *Disser-*
ostris meditationibus contulimus. LUTHERUS
ommentario secutus est filum suum princeps,
os habuit. CALVINUS graviter & cum solito si-
m tractavit. HUNNIUS legi meretur, in
as difficultates hujus Historiæ, & in ponde-
, contulit. Ven. DEYLINGIUS HARDUINO potis-
ris Observationibus, eo loco, quo hanc contro-
x instituto pariter commendari meretur IOH.
on minus, ac copiose, in hoc argumento ver-
Exerc. XX. ad *1. Cor. XV. 5. seqq.* Juvabit etiam
ALOVIUM in *Bibliis Illustratis* ad *Caput II. ep. ad*
nis accurate conferre. SAM. BANAGIUS multa
c argumento in *Annal. Eccles. T. I.* deque eo
ndoque optime meruit. HEIDEGGERUS quo-
ne de *contentione Petri & Pauli* in amplifican-
ctariis potissimum laboravit. WITSIUS eo ma-
, quod objectiones adversus infallibilitatem
omtas solvendas tollendasque sibi singulari
Nec pœnituit heic contulisse *N. T. Berol.*
naxime *Epistolæ ad Galatas* præmissum. WOL-
h. l. Philologicis multa ex optimis Autoribus
ndium. Plura jam omittimus, cum scopo
, quæ diximus adhuc, sufficiant.

TANTUM.